

accipe, quae pietas ponit tibi dona merenti,  
effigiem nostri conservatura parentis.

- 5 Cuius ne taceat memorandum littera nomen,  
Caesius hic idemq. Titus Primusq. vocatur:  
qui largae Cereris messes fructusq. renatos  
digerit in pretium; cui constat fama fidesq.  
et, qui divitias vincit, pudor; ire per illos  
10 consuetus portus cura studioq. laboris,  
litor. qui praestant fessis tutissima nautis;  
notus in urbe sacra; notus quoq. finibus illis,  
quos Umber sulcare solet, quos Tuscus arator.  
Omnibus hic annis votorum more suorum  
15 centenas adicit numero crescente coronas,  
Fortunae simulacra colens et Apollinis aras  
Arcanumq. Iovem<sup>2</sup>, quorum consentit in illo  
maiestas, longae promittens tempora vitae.  
Accipe, posteritas, quod per tua saecula narres:  
20 Taurinus, kari iussus pietate parentis,  
hoc posuit donum, quod nec sententia Mortis  
vincere nec poterit Fatorum summa potestas,  
sed populi salvo semper rumore, manebit.

(In latere intuenti dextro) L. Ceion[i]o Comm[odo,] S]ex Vetul[e]nio Civii (sic) |  
Pompeiano c[os.]<sup>3</sup> | L. d. d. d.

*Proeneste (XIV 2852 vidi. Buecheler carm. epigr. n. 249). — Statuam*  
(vv. 5. 4: dona conservatura effigiem) *T. Caesii Primi (v. 6) mercatoris frumentarii* (vv. 7—15; eodem spectant etiam spicae super inscriptionem repraesentatae)  
*Fortunae dicavit Caesius Taurinus filius (v. 20). — 1) Significatur aedes Fortunae*  
*Primigeniae sita Romae in Capitolio; cf. Plutarch. de fortuna Rom. c. 47. —*  
*2) Iuppiter Arkanus memoratur etiam in aliis quibusdam inscriptionibus Prae-*  
*nestinis (XIV 2937. 2972). — 3) A. 456.*

**3697** M. Ofasius | Firmus Marus | Cornelius Mari f. | Clu. Cossinus<sup>1</sup> |  
praefectus fabrum, | tribunus militum | leg. XIII Gemin Victric., | curator  
lusus iuven., | Ilvir, patronus colon., | Fortunis Antiatibus<sup>2</sup> | d. d.

*Velitris (X 6555 vidi Stevenson). — 1) Fortasse idem ad quem spectat fistula*  
*urbana in urbe reperta, inscripta Mari Corneli Cossini f. [?] (XV 7490). — 2) Cultum*  
*Fortunae Antiatem testantur Horat. carm. 1, 53, aliquie (cf. Preller-Jordan Myth.*  
*II p. 492). Duas fuisse Fortunas Antiates apparet ex nummo Q. Rustii (Eckhel*  
*5, 298). Titulus qui praeter hunc Fortunis illis dedicatus putabatur, suspectus est*  
*(Orell. 4758 = X 964\*).*

**3698** numini Fortis Fortune, | M. Aurelius | Marinus mil. | coh. VII  
pr. p. v.<sup>1</sup> | Severiane 7 | Serotini, | libens cum | suis votum | solvit.

*Romae, nunc Neapoli (VI 170 vidi Mommsen). — 1) Praetoriae piae vindicis.*  
— Aquileiae repertus est titulus M. M. (*Matri magnae?*) Forti Fortunae dedicatus  
(V 8129).